

teriam crassam viscosam, vt cum syrupo de betonica, de liquiritia, melle rosaceo, oxymellite simplici & composito. Concocta materia euacuaré cū pillulis aggregatiuis, aut confectione hamech aut cochuis, aut cū pillulis agarici: & vellem quòd vteretur ante prandium horis tribus diaspolitico diacalamento. His factis deuenirem ad alterationem membrorum, vt renum, ne amplius materia per has partes ad vesicam expelleretur. Et id agerem medicamentis roborantibus renes, & ventriculum, & alia membra: essent autem medicamenta, quæ non sint valde calida, vt aromaticum rosatum, syrupus de cichorea, diacalamentum. Nunc pro corroboratione purgato corpore vterer balneis Patauinis Aponensibus, quæ si calefacerent, corrigerem hoc Calderianis. Denique cauteria cica crura probarem.

CONSILIVM CCXCIX.

De stranguria & dolore genitalium ex casu.

VIDAM ex alto cadens in asserem, pedibus expansis, eo modo, quo equorum fellas conscēdimus, partes inguini vicinas læserat, & præcipuè vesicæ collum, ita vt vrinæ quandam difficultatem sentiret, & sæpius, imò singulis horis ferè tam noctu quàm interdiu mingere cogeretur, nec tamen liberè, sed guttatim propemodū, interdum etiam pus emitteret, ac dolores ingentes circa vesicæ collum, & vicinas partes sentiret. Montanus rogatus hæc ordinavit, & quidem ea subito institui voluit, quia omninò metuebat apostema. Primò cibus suus erit talis: semper pro ferculo suo vtatur ptisana hordeacea cum saccharo, deinde comedat oua recentia, tremula simul cum suo albumine. Poterit etiam carnes comedere vel pulli, vel auium paruarum, abstinebit omninò à cibis falsis, piscibus, caseo, leguminibus, carnibus antiquis. Bibat vinum album subtile, dilutum, cum aqua mulsa, siue decocta cum saccharo. Semper ante cibum manè & serò per horam comedat vnciam vnam sacchari rosati. Item bis in die ante prandium ac cœnam sedebit in decoctione infra scripta actu calida, suauiter & sine labore.

R. Rosarum rubearum m. iij.
Radicum consolidæ maioris ꝑ. iij.
Radicum althææ,
Radicum maluæ ana ꝑ. vj.
Florum chamæmeli,
Anethi ana m. iij.
Saluiæ,
Betonicæ,
Rorismarini ana m. vj.

Decoquantur omnia simul in aqua & vino, æqualibus partibus cōmistis, ad consumptionem tertiæ partis, & in decocto actu calido bis sedebit in die, ante prandium & cœnam, sicut dictum est. Deinde se vngat circa collum vesicæ, id est, inter anum & testes, & inguem vtrinque, ac totam pubem oleo infra scripto:

R. Olei chamæmelini,
Rosati,
Liliorum alborum ana ꝑ. ij.

Vini albi optimi lb. j.
Lumbricorum terrestrium lb. s.
Abluantur lumbrici in vino bono duabus aut tribus ablutionibus, deinde decoquantur in istis oleis cum prædicto vino aromatico, vsq; ad consumptionem vini, & cum oleo inungantur loca supradicta. Item,

R. Rhabarbari optimi ꝑ. s.
Garyophyllorum gr. x.
Puluerizentur: deinde,
R. Mellis rosati ꝑ. j.

Aquæ consolidæ ꝑ. iij.
Misceantur omnia simul cum prædicto rhabarbaro puluerizato, & detur in potu singulis vicibus calidum, hora syrapi circa auroram. Item si non habeat beneficium alui, vtatur clysteribus cum decocto furfurum, malua & consolidæ, addito oleo communi, & rosati mellis vncias iij. Quiescat etiam, molliter sedeat, & nunquã supra rem durã perseueret, maneat in lecto molli, quiescendo, donec dolor vrgeat. Vbi hæc fecerit, & adhuc dolor adsit, laudo vt manè bibat vnum cyathum lactis recētis ouini, simul cum vncia sacchari, vel vncia j. penidiarum, quod fortasse erit melius.

Cuidam in difficultate vrinæ, cum pruritu virgæ, qui quandoque mingebat aliquid sanguinis, post purgationem & potum thermarum Aponensium, ordinavit vt biberet lac ouis cum saccharo, vel si hoc habere non possit, lac capræ, sed cum maiori sacchari portione.

CONSILIVM CCC.

De testium pruritu.

OMNES quidam complexionē calida & sicca, patiebatur pruritum in scroto & femore, ita vt sæpe cogeret scalpere locum. Exhibat autem aliquid quando virus tenue quoddam post frictionem. Et per aliquot menses malum illud habuit.

Causa. Intemperies calida loci, facta ob perpetuum fluxum humoris calidi cholericici, aut pituitosi falsi ab hepate, quod dicebatur nimis esse calidum.

Cura. Mundetur corpus. Deinde dentur syrapi de fumo terræ, de endiuia, de cichorio cum rhabarbaro, &c. Et purgetur aliquoties cum hamech & electuario rosato. Item cassia cū rhabarbaro esset conuenientissima: cassia enim refrigerat temperiem calidam hepatis, & quia rhabarbarum additum est, non relaxaret stomachum, educeretq; bilem. Inter omnia tandem phlebotomia esset conuenientissima, & satis copiosa, quia educeretur iste humor adustus & crassus, & infrigidaretur hepar. Voluit Frisimelica in vtroque brachio esse secandã venam. Factis diligentibus purgationibus, alterari debet hepar cum linimentis frigidis, cū electuariis & aliis. Si iste fluxus ad testes non cessaret, oportet cauteria fieri in cruribus, ad auertendū (ego tamen in brachiis magis suaderem.) Ad locum testium adhibendum est à chirurgo linimentum ex cerussa, sulphure & aceto confectum. Et satis ad propositum. Nam cerussa infrigidat, sulphur prohibet obstructionē & opilationes.